

pastores vocatam putent; inde locum fabulae ac miraculo datum. Ita geniti, itaque educati, quum primum adolevit aetas, nec in stabulis, nec ad pecora segnes, venando peragrare circa saltus. Hinc, robore corporibus animisque sumpto, jam non feras tantum subsistere, sed in latrones, praeda onustos, impetus facere, pastoribusque rapta dividere, et cum his crescente in dies grege juvenum, feria ac jocos celebrare.

#### CAPUT V.

Jam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, et a Palianteo, urbe Arcadica, Pallantium, dein Palatium, montem appellatum. Ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus tenuerat loca, solenne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi juvenes, Lyceum Pana venerantes, per lusum atque voluptatem currerent; quem Romani deinde vocarunt Inuum. Huic deditis ludicro, quum solenne notum esset, insidiosos ob iram praedae amissae latrones, quum Romulus vi se defendisset, Remum cepisse; captum regi Amulio tradidisse, ultro accusantes. Crimini maxime dabant, in Numitoris agros ab his impetum fieri: inde eos, collecta juvenum manu, hostilem in modum praedas agere. Sic Numitori ad supplicium Remus deditur. Jam inde ab initio Faustulo spes fuerat, regiam stirpem apud se educari: nam et expositos jussu regis infantes sciebat, et tempus, quo ipse eos sustulisset, ad id ipsum congruere. Sed rem immaturam, nisi aut per occasionem, aut per necessitatem, aperiri noluerat. Necessitas prior venit: ita, metu subactus, Romulo rem aperit. Forte et Numitori, quum in custodia Remum haberet, audissetque, geminos esse fratres, comparando et aetatem eorum, et ipsam minime servilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum: sciscitandoque eo demum pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret.